



I. Tomomyza.
II. Xestomyza.
III. Apatomyza.
IV. Thlipsomyza.
V. Corsomyza.
VI. Graptomyza.
VII. Systropus.
Explicatio Figurae.
1. Typus generis.
2. ala.
3. antenna.
4. caput superne visum.
5. caput a latere.
6. scutellum.
I. Sturm sc.
VIII. Chiromyza.

MUNUS

RECTORIS

IN ACADEMIA CHRISTIANO-ALBERTINA

ITERUM ADITURUS

NOVA DIPTERORUM GENERA

OFFERT ICONIBUSQUE ILLUSTRAT

Dr. C. R. G. WIEDEMANN.

KILIAE HOLSATORUM
TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI MOHR
ACADEMIAE TYPOGR.
MDCCCXX.

Iterum iam, quod semper mihi honorificentissimum visum est, mihi contigit, ut Rectoris in civitate literaria Christiano-Albertina munere fungi, et defensorem et vindicem libertatis academicae me exhibere iubear. Bono cum animo hunc magistratum capio. Rex enim noster clementissimus, qui saluti omnium suorum civium paterno cum animo et summa cum humanitate prospicit, nec servili et abiecto obsequio gaudet, sed res non bene stare, quae sola fama aut metus vi nitantur, probe memor id agit, ut caritatis vinculo et pietatis iudicio omnes pariter amplectatur ut adstrictos sibi teneat, et nobis omnem illam tutelam, omne praesidium illud, quod literae requirunt, praestare se

velle, fidem facit; nec nobis fas est timere, ne tristissima haec nostra tempora, quibus infelicissima quadam aegritudine tot homines angantur, quibus, fide publica paene soluta taedio aut indignatione aliqua tot nationum animi occupentur, et nos a principis nostri optimi amore alienantur, ne Rex noster iustissimus et sanctissimus studiis nostris infensus exsistat, libertatique huic, qua fovemur, diffidat aut quid amplius detrectet.

Est ita, carissimi commilitones! coetus noster, elegantissimis et ingenuis literis, et omni honesto studio optimisque artibus deditus, aversatur petulantiam illam et temeritatem paucorum illorum adolescentium, qui nugis suis tumidi et seriorum rudes, sine omni rerum usu vel experientia, levissimi non raro aut pessimis innutriti,

summarum rerum censuram sibi sumunt et iniquissima mente in civitatum leges aut maiorum placita conspirant et omnibus, quae in ecclesia vel in rerum publicarum administratione aut constituta sunt aut constituuntur, pariter offenduntur. Cui perversitati tam fluxae tamque puerili, si forte irridetis tantum, horrore optimi commilitones, animos vestros ad insaniae illius scelestae nuntios perstringi oportuit, qua iuvenes fanatici infelicissimo errore obcoecati, vindictam et ultionem, quae Deo curae sint, sibi arrogaverunt, et ferro in alios, in se ipsos saevierunt. Quibus sceleribus atrocibus et nefandis, ne lues latius propagetur verentes principes altius sunt perculsi et dummodo sontes puniantur, multos etiam insontes criminibus non amplecti non possunt.

Nos vero, hac peste intacti illaesique pace fruemur incorrupta! —

Quae cum ita sint, laeto animo et ob Patrum academicorum, virorum sanctissimorum, collegarum amicissimorum insignem erga me gratiam, fausta omnia augurans, ad civitatis huius literariae regimen me accinxi. Et vos, cives, quo soletis impetu et tenore adeatis literarum et artium nobilissimarum θησαυρούς ut exquisitam illam vobis comparetis eruditionem, quae optima vestra indole digna sit, et saeculo huic nostro sagaciori conveniat. Neque vero augendae cognitioni studiosi in tristitiam et austeram morositatem laetum perdite animum. Spreta nunquam redibit iuventutis aurea aetas. — Non ad lasciviam nec ad inanes cavillationes vos voco,

commilitones ingenui, generosi! Hortor vos, ut res laetas laeto animo excipiatis, ut in arcto nondum agentes altiores spiritus sumatis et summa quaeque appetatis; ut simplices, at veri in omni vita, prava procul simulatione, secreta pectoris licentia ioci aperiatis. Haec ad iuventutem pertinere scitote!

Sed et numen illud supremum, quod patria cum benevolentia et inexhausta cum clementia in hominum genus beneficia sua largitur, et nos iuvabit, ut sapienter vos doceamus, et vos, ut patienter doctrinae aurem accommodetis. Tum et me non pigebit, tam illutri me literariae reipublicae praefuisse!

Utinam haec coram vobis dicere valerem! utinam secundum veterem morem in publica aula ab antecessore

spectatissimo recentis magistratus insignia acciperem! Sed iusta causa — proh dolor! — quae olim, et nunc in publicum prodire me vetat. Accipite igitur benigni et candidi haec mea ad vos, ornatissimi commilitones, composita verba; nec minus pagellas has a me additas, quibus in immenso literarum spatio, locus quidam, etsi satis parvus, clariore luce collustratur.

Prooemium.

Ambitione nulla ducor, quam muscarum aliquot genera melius constituta nec movere nec explere valent; nec ex his aeternum nominis mei monumentum, apud nostros haud incognitus quaero; nec prava solertia me instigat naturae vestigia sequentem. Ut historiae naturali melius consulerem, nova aliquot genera sistere in animo erat. Ne terreamini amici! Sane multi hodie nova genera ex notissimis speciebus temere procreant; quae hic proferuntur, aut plane ignota sunt aut minus cognita.

Infinita prope et incredibilis est naturae varietas ac tam multiplex diversissimarum formarum et colorum copia, ut a vero non aberraverit, qui contendat, posse omnium et formarum et colorum compositionem, quam modo quis audere velit, in ipsis rebus reperiri. Quot miracula in hoc genere nostris temporibus non sunt inventa et ante oculos posita! Imo, quae absurda prope Breughelii phantasia modo fingere poterat, in maribus natantia, in aere volantia, in terra repentia invenisti; et in quantum zonae torridae luxuriantes colores pictoris artes vincunt! Prout aliquot vel temere captae

bestiolae ex aliis mundi partibus nobis advehuntur, nova aliqua prius invisa forma conspicitur, a pridem notis discrepans et plane diversa. Quodsi ceterae mundi partes a viris doctis aliquantisper essent pervestigatae, immensum chaos videntes miraremur, quid, refugeremus. Ne Europa quidem nostra satis cognita est, ne apud nos quidem omnia sunt detecta. Itaque, si unquam systemate opus fuit, quod solida basi niteretur, hoc hodie necessarium est, ne innumerae singulae res in molem indigestam coacerventur.

Quae vero sunt primae et antiquissimae condendi systematis conditiones? — Iam primum desideratur ut notae a partibus essentialibus satisque ante oculos positis petantur, quaeque variationi minus sint obnoxiae, nec in aliam unquam formam transeant. In insectis antennae, alae, pedes, orisque partes externae notas praebent satis certas et ad animalis naturam et vitae consuetudinem maxime pertinentes. Sin in alia aliqua parte animalis pluribus speciebus conveniens aliqua, et ita constans et conspicua et manifesta diversitas reperiatur, cuius ope hae species a reliquis omnibus primo statim adspectu dignoscantur, quis est qui illam diversitatem pro nota novi generis recipiendam et adhibendam esse neget? Quid enim est, quod genera constituimus, nisi ut infinita quaedam multitudo ordine digesta conspiciatur? Quodsi quis id agit, ut systema aliquod congruens et sibi ipsi bene conveniens tum modo natum esse arbitretur, cum omnes notae ex una eademque tantum parte petitae sint, perspicuitate parum sane consulit. Sed hac de re alio iam loco pluribus egimus.

In ordine Dipterorum, quibuscum nobis hic res est, alae sunt intectae nec plicatae et tam tenues, ut venae facillime cognoscantur, optimumque generum notam praestare possint, si prudenter et caute satis ad id adhibeantur. Nam ex minima quaque in venarum decursu abnormitate κϱιτήϱιον petere certe nimia iam subtilitas foret. Ab alis sumtas has notas suis quisque oculis, sine ulla microscopii ope, invenire potest; nec ulla adhibita arte notae ab oculis usu qualicunque edoctis ita facile percipiuntur, ut primo statim conspectu genus plerumque decerni possit; si minus, facile aliae decernunt notae, in quas venarum diversitate ducimur.

Antennae quidem in certis aliquot formis non satis reperiuntur sibi constantes, cum numerus quoque et forma articulorum scrutatu difficilior sit, tamen ad genera constituenda necessariae sunt et erunt, si modo non ad numerum articulorum tantum respiciatur. Raro tantum non satis liquet, num singulae antennarum partes annulatae an articulatae sint, raroque antennarum basis longioribus pilis est obtecta.

Minime negligendum quoque est Hypostoma *), inter insertionem antennarum, os, oculosque situm, quo in magna et numerosissima potissimum Muscidum familia ad genera dignoscenda utimur. Plerumque planum, levibus depressionibus notatum, nonnunquam rostratum, raro vesiculoso-inflatum. *Fallénius*, professor Lundensis primus hypostoma, sub vocabulo clypei, quoque

*) Illiger's Mag. für Insectenkunde V. p. 3. 1501.

ad constituenda aliquot genera adhibuit (cf. eiusd. *Specimen entomologicum novam Diptera disponendi methodum exhibens Lundae* 1810). Sed notae inde sumtae passim minus accuratae mihi videntur, licet nonnumquam et sufficiant.

Pedes quoque ratione amplitudinis, longitudinis, directionis, formae etc. ceteras notas adiuvare possunt, et aliquot sunt genera, ubi insignis pedum forma et natura ad disponenda genera plus valent minusque fallaces sunt, quam aliae notae occultiores difficilioresque investigatu. Provoco ac genera: *Merodon Fab.*, *Macrochira Meig.* etc.

Sed et oris partes secretiores, dummodo sine artificiosa praeparatione et a leviter tantum armato oculo (certe sine microscopiorum compositione) satis dilucide conspici possint, et insigne quid et constans in formatione sua exhibeant, vel ab illis loco notarum genericarum adhiberi possunt, qui oris partium nullam ceterum rationem habent. Quis, quaeso, palpos negligere posset in genere Tabani, Lispes *Latr.* etc.

Nova genera ex notis speciebus constituere tum etiam operae esse pretium, cum maior specierum copia uni noto generi adnumeratur, iam per se liquet; et quamvis maior inde evadat numerus nominum novorum generum memoria tenendorum, tamen et ea inde conciliatur inveniendarum nonnullarum specierum facilitas, quae oneratae memoriae incommoda facile compenset. In iis vero generibus, quae paucas tantum species continent, magis in rem

fuerit, species illas, quae diversitate quadam differunt, **subdivisione** tantum aliqua complecti; sin ad illam diversitatem aliae insuper, etsi minus essentiales differentiae accedant, tum novi generis constituendi necessitas exsistit. Et raro quidem fit, ut unius partis differentia cum aliarum quoque partium diversitate non sit coniuncta, et hac ipsa ratione maximum est momentum in alarum venis, quarum decursus attentius observetur; quamquam nemo fieri posse negabit, ut in eodem alae venarum decursu ceterae partes in tantum differant et discrepent, ut novum genus optimo iure sit constituendum. Sic Rhinomyzae (quam vide infra) alae venarum decursus idem est, qui Tabanorum generi; cum tamen longa et sursum inclinata proboscide instructa sit, et ocellos manifestos et palpos plane diversos habeat. Contra in Anthracibus, quid, in nonnullis Dasypogonibus exoticis alae venarum decursus quidem differt nonnihil, tamen ceterae notae ita congruunt, omnisque habitus plane idem est, ut plura ex illis genera nullo modo sint disponenda; sed differentiae illae ansam tantum praestant in genere illo, in quo occurrunt, subdivisiones aliquot, nec perperam, sistendi. — Monemus hic tantum, genera nonnulla prae aliis multifarias hac ratione et constantes differentias exhibere (vide *Meigen Diptera, Aquisgrani* 1818 Limnobia *tab. IV. V. VI.* Sciophila *tab. IX*). Quae quidem subdivisiones, licet ut describantur profusam verborum copiam, plerumque molestam, nec tamen sufficientem, requirant, praeclaram tamen ad species inveniendas, operam praestant; cum enim vel rudi manu paucis lineamentis

facile designari possint; una eiusmodi delineatio pro copiosa vel prolixa est verborum descriptione, et facillima comparatio de eo, quod velis, certissimum te faciet.

Et nos novorum huic generum constitutioni, quam necessariam esse neminem certe fugiet, icones nonnullas, ut ipsa intuitione clariora omnia redderemus, adiunximus, quae si a minus callida quidem manu descriptae sint, tamen sufficient, ut de generibus hisce nullum dubium relinquant, imo copiosam et molestam descriptionem superfluam reddant. Nos enim nihil amplius nobis proposueramus, nisi ut genera haec ita delinearemus, ut quisque, quid illa sibi velint, intelligat. Et iusta illis quoque nos nomina imposuisse speramus, ut illis editis, ne alia edantur, cautum sit. Rebus enim novis ad clariorem designationem nominibus novis opus est; sed iustis et aptis nominibus, semel rei impositis, deinceps omnino est utendum.

Nova Dipterorum Genera.

Ptilocera.

Antennae approximatae, porrectae, divergentes, quinque-articulatae; articulo 1. brevi, cylindrico; 2. elongato nodiformi, quadriannulato; 3. elongato compresso, apice paulum dilatato, hirto; 4. brevi, cylindrico; 5. longiore, cylindrico, apice acuminato. Articuli 2. 3. cirrhis septem semipennatis ornati, 4. 5. setulis brevissimis hirti.

Alae incumbentes; venarum decursus sicuti in Stratiomydis.

Habitus Oxycerae *Meig.*

Nomen a πτίλον pluma et κέρας cornu.

Ptilocera quadridentata.

Scutello quadrispinoso, thorace antice utrinque aurato, abdomine chalybeo, albo-maculato. Longitudo lin. 4 ♀.

Habitat in insulis Sumatra, Java.

Fabricii Systema Antliatorum 86. 33. Stratiomys 4 dentata: scutello quadridentato, thorace antice utrinque aureo, abdomine cyaneo. Statura omnino St. hypoleontis at paullo maior. Antennae elongatae nigrae: articulo secundo fasciculo pilorum nigrorum. Caput nigrum. Thorax niger antice late aureus, linea media tamen nigra. Scutellum nigrum dentibus 4 validis. Abdomen subrotundum, cyaneum, maculis lateralibus apicisque albis. Pedes nigri. Alae fuscae.

Genae et orbitae parum albicantes. Thorax anticē viridaureus, non linea sed vitta, eaque lata nigra, postice niger linea utrinque marginali viridaurea in cupreum vergente, lineisque duabus mediis cupreo - violascentibus in scutelli margines laterales continuatis. Scutellum obscure violaceum. Maculae abdominis segmentis 3 - 5 insident, a basi oblique introrsum procedunt, in quinto marginem externum totum, basinque fere totam occupant. Pectus et venter albo - pruinosa. Plantae pedum plus minus ferrugineo - hirtae.

In Museo regio Havniensi, Westermanni et nostro.

Rhinomyza.

Proboscis porrecta, adscendens, longa. Palpi basi proboscidis inserti, triarticulati: articulo 1. brevissimo, 2. longiore, 3. secundo haud multo longiore.

Antennae triarticulatae: articulo 1. cylindrico, breviusculo, 2. cyathiformi, 3. elongato, paulum recurvo, basi supra unidentato.

Oculi maximi, in mare contigui ut vix spatium remaneat ocellis tribus.

Alae et habitus Tabani.

Nomen a ῥὶν nasus et μυζω musso et sugo.

Rhinomyza fusca.

Fusca, abdominis basi et medio ferrugineis; alis fuscis, maculis duabus flavicantibus. Longit. lin. 6. ♂.

Habitat in insula Java.

Antennae nigrae; hypostoma flavido-fuscanum, impressum. Thorax fuscus, glabriusculus, fusco-pubescens; pleurae macula flava. Abdominis segmentum 1. ferrugineum, medio parum fuscanum; 2. saturate fuscum, basi anguste albidum; 3. 4. medio ferruginea, lateribus et margine apicali fusca; reliqua segmenta fusco-nigra. Alae ima basi, macula media, alteraque minore apicali flavicantibus; squamae nigro-fuscae, ciliis fuscanis; halteres fuscani, capitulo flavo. Pedes nigro-fusci.

In Museo Westermanni Havniae.

TOMOMYZA.

Antennae triarticulatae: articulo 1. brevi subcylindrico; 2. brevissimo subgloboso; tertio longiore subulato extrorsum directo.

Hypostoma breve, porrectum, tectiforme; haustellum breve vix prominens.

Ocelli nulli.

Alae divaricatae.

Abdomen sexannulatum.

Pedes brevi.

Habitus Anthracis.

Nomen a τομη sectio et μυζω sugo, musso.

TOMOMYZA ANTHRACOIDES. Fig. I.

Nigra, nitens; abdomine niveo-notato; alis infumatis. Longit. lin. 4.

Habitat in Promontorio bonae spei.

Antennae nigrae, caput nigrum, occiput utrinque vittula alba. Thorax niveo-pilosus, pilis brevibus, vittas indistinctas formantibus. Abdomen segmentis annulato-convexis, singulo macula parva media, incisurisque niveo-pilosis, certo situ distinctius apparentibus. Alae infumatae, apice margineque interno sublimpidae, halteres flavido-albi. Pedes nigri.

In Museo Westermanni.

Xestomyza.

Haustellum porrectum, longitudine thoracis.

Antennae parum approximatae porrectae, elongatae, triarticulatae: articulo 1. longiusculo, cylindraceo-subfusiformi; 2. brevissimo, cyathiformi; 3. mediocri fusiformi acuminato.

Ocelli tres.

Alae expansae.

Pedes longi.

Nomen a ξεστὸς rasus, politus.

Xestomyza lugubris. Fig. II.

Nigra nitens, halteribus coccinelleis; alis infumatis, costa maculisque duabus flavicantibus. Longit. lin. $3\frac{1}{2}$.

Habitat in Promontorio bonae spei.

Antennae nigrae, pilosae, articulo ultimo fusco, absque pilis. Caput nigrum; hypostoma certo situ albido-micans. Thorax lineis

duabus flavicantibus antice in punctum dilatatis. Alarum macula prima pone basin sub vena ultima, secunda pone venam connectentem mediam sita; basis alarum costaeque dimidium basilare flavicantia. Femora nigra, tibiae et tarsi saturate fusca.

In Museo Westermanni.

Apatomyza.

Haustellum porrectum capite duplo fere longius, basi palpigerum, palpis porrectis fractis, articulo apicali capitulato.

Antennae approximatae, porrectae, triarticulatae: articulo 1. elongato, cylindrico, 2. minutissimo subcyathiformi, 3. compresso-subulato.

Ocelli tres.

Alae divaricatae.

Pedes longi.

Habitus Therevae (Bibio F).

Nomen ab ἀπατάω decipio; ob facilem confusionem generis.

Apatomyza punctipennis. Fig. III.

Nigricans; thoracis lateribus, scutello, abdomine pedibusque ferruginosis. Longit. lin. 3.

Habitat in Promontorio bonae spei.

Antennae subhelvae; hypostoma et frons ferrugineo-flavicantia, occiput schisticolor. Thorax nigricans, flavicante-hirtus, lineis

duabus calvis; pleurae ferruginosae, medio nigricantes. Scutellum paulo elongatum, lateribus subconcavis. Abdomen utrinque et in medio nigricans. Alae flavicantes, ad costam fuscanae, venis connectentibus fuscis; halteres ferruginei, capitulo albido. Tarsi et tibiarum posticarum apex fusci.

In Museo Westermanni.

THLIPSOMYZA.

Haustellum porrectum elongatum.

Antennae triarticulatae: articulo 1. elongato, cylindrico; 2. subcyathiformi; 3. primo haud longiore, subulato, subincurvo, spinula apicali.

Alae expansae; vena longitudinalis quinta ad marginem non excurrens; furca apicalis vena connectente cum longitudinali tertia cohaerens.

Abdomen angustum, compressum, incurvum.

Habitus a Bombyliis (quibus Fabricius unicam speciem hactenus notam adnumeravit) alienus; caput thorace latius; pedes quam Bombyliis multo ampliores.

Nomen a θλίβω premo.

THLIPSOMYZA COMPRESSA. Fig. IV.

Glabriuscula; thorace flavicante, fusco-trivittato; abdomine albido, maculis obcordatis fuscis; alis limpidis. Longit. lin. 4. ♀.

Habitat Algiriae.

Fabric. Syst. Antl. 135. 30. Bombylius compressus: alis albis, nudiusculus, thorace lineato, abdomine compresso incurvo.

Statura B. senilis at maior. Haustellum valde elongatum. Antennarum articulus ultimus nigricat. Caput cinereum. Thorax cinereus lineis tribus totis nigris. Abdomen compressum, incurvum segmentis macula magna dorsali nigra.

Antennae fuscae, subtus in ochraceum vergentes, articulo tertio nigricante. Genae et hypostoma glandicoloria albo-micantia. Frons cinerascens, albido-pilosa. Thorax flavicans, vittis tribus nigro-fuscis. Pleurae flavicantes, albo-pruinosae. Abdomen albido-tomentosum, singulo segmento macula magna obcordata antice fusca postice subtestacea; in speciminibus intactis hae maculae tomento flavo-albido obsitae esse videntur, lineis duabus obliquis fusco-nigris tantummodo apparentibus versus basin segmentorum in angulum iunctis. Halteres flavicantes. Pedes ex glandicolore in flavum abientes; tomento seu pruina albida tecti; femorum apices et tarsi fusci.

In Museo Fabricii.

Corsomyza.

Proboscis longitudine thoracis, porrecta, setacea, bivalvis.

Antennae approximatae, porrectae, triarticulatae: articulo 1. cylindrico, breviore; 2. brevissimo cyathiformi; 3. illis duplo longiore, compresso, apice dilatato.

Ocelli tres. Oculi in utroque sexu distantes, in ♀ latissime.

Alae et habitus Mulionis (Cythereae Fabr.)

Nomen a κορσόω tondeo, ob scopulam pilorum aeque longorum hypostomatis.

Corsomyza simplex. Fig. V.

Nigra, tota albo-hirta; tibiis tarsisque rubido-brunneis. Longit. lin. 4½ ♂.

Habitat in Promontorio bonae spei.

Caput et truncus tota nigra, pilis longis tenuissimis albis hirta. Frontis pars superior sola nigra-hirta, at in summo vertice quoque pili erecti albi. Hirsuties hypostomatis partisque inferioris frontis scopulam densam refert, in omnibus speciebus huius generis reperiundam, ex qua antennae et proboscis prominent. Color fundamentalis relucens truncum superne inspectum grisescentem reddit. Alae flavicantes, basi et costa multo saturatius, venis ferrugineis; halteres ferruginei, capitulo albo. Femora nigra; tibiae et tarsi in ochraceum magis quam in badium migrantes. Marem sequentis esse iam opinari licet.

In Museo Westermanni.

Corsomyza pennipes.

Nigra, flavicante hirta, scutello flavo; tibiis brunneis, posticis nigro-pennatis. Longit. lin. 3⅔ ♀.

Habitat cum praecedente.

Antennae nigrae, hypostoma stramineum, albo-hirtum; barba alba; frons infra straminea, albo-hirta, supra nigra et nigro-hirta. Thoracis latera et pleurae fulvo-hirta. Alae croceo-flavicantes, basi et costa multo intensius, venis ferrugineis; halteres flavidi, capitulo albo. Femora nigra, pilis densis et longis nigro-hirta; tibiae et tarsi subbadia.

In Museo Westermanni.

Corsomyza nigripes.

Nigra, flavicante hirta, scopula frontali in ambitu nigra; pedibus nigris. Longit. lin. 3. ♂.

Habitat cum praecedentibus.

Antennae, fasciculus pilorum sub antennis et barba nigra; scopula hypostomatis et frontis flavicans et toto ambitu nigra; pili in frontis parte superiore nigri, at in vertice summo crista transversa pilorum flavicantium utrinque fasciculo nigro terminata. Truncus supra flavicante-pilosus; pleurae, pectus, venter nigro-pilosa; iuxta alarum insertionem fasciculus albidus. Alae limpidae: area costalis et inprimis linea stigmatica ferrugineo-flavicans; venae ferruginosae; halteres fusci.

In Museo Westermanni.

Corsomyza clavicornis.

Anthracina, flavicante-pilosa; scopula frontali iuxta antennas et in ambitu nigra. Longit. lin. 2⅔. ♂.

Habitat cum praecedentibus.

Wiedem. Zool. Magaz. III. p. 12. No. 26. Mulio clavicornis: anthracinus, flavicante pilosus; antennis elongatis, apice incrassatis.

Antennae nigrae. Hirsuties thoracis et abdominis longa at minus densa, certo situ fere albicans; color corporis anthracinus fundamentalis ubique translucens. Pedes pilis brevissimis nigris obsiti; femora subtus pilis nonnullis longioribus flavicantibus.

In Museo Westermanni et nostro.

Graptomyza.

Os prominens rostriforme; proboscis elongata apice bifida.

Antennae triarticulatae: articulis 1. 2. minimis; 3. porrecto, elongato, compresso, basi-setigero.

Ocelli tres.

Alae Asciae podagricae *Meig.* (Merodon p. *Fabr.*)

Habitus Rhingiae.

Nomen a γϱαπτὸς scriptus; ob picturam trunci.

Graptomyza longirostris. Fig. VI.

Antennis plumatis, nigra, thorace vittis 2, abdomine 5 stramineis. Longit. lin. $3\frac{2}{3}$ ♂.?

Habitat in insula Java.

Antennae flavae, margine antico fusco, articulo tertio valde elongato. Hypostoma porrectum, rostrum formans acutum, longitudine fere thoracis, stramineum utrinque, et medio fusco-vittatum; frons nigra, glaberrima, puncto pone antennas vittaque abbreviata

utrinque stramineis. Thorax niger submetallicus, apice utrinque et vittis lateralibus a basi ad suturam usque extensis stramineis. Scutellum flavicans, fovea fusca. Pleurae nigrae, macula magna triangulari flava. Metathorax niger. Abdomen submetallico-nigrum: segmentum 1. medio flavum; vitta media linearis a basi segmenti secundi usque ad anum extensa; laterales duae utrinque latiores in basi segmenti secundi coniunctae, postice parum divergentes, sed in ano iterum convergentes; totum tergum pilis brevissimis griseo-sericantibus obsitum; venter albidus, medio maculis duabus fuscis. Alae flavicante-limpidae, linea stigmatica, apicis margine externo, limboque venarum connectentium apicalium fuscanis; halteres ferruginei. Pedes fusci, geniculis ferruginosis; tarsi posteriores laete ferruginei, certo situ albicantes.

In Museo Westermanni.

GRAPTOMYZA BREVIROSTRIS.

Antennis setariis; nigra; thoracis limbo stramineo; abdomine flavo, fasciis vittisque nigris. Longit. lin. 2¼ ♀?

Habitat cum praecedente.

Antennae ferrugineae: articulus apicalis paulo minus elongatus ac in praecedente, margine antico fuscus. Hypostoma porrectum, sed rostrum brevius formans, flavum, nigro-trivittatum. Frons flava medio ante ocellos nigra. Thorax glaberrimus, niger, submetallicus, limbus in apicis medio niger. Scutellum totum nigrum fovea impressa magna. Pleurae nigrae, macula media maiore et antica

minore flavis. Abdominis segmentum 1. flavum; 2. flavum, fascia latissima antice bis sinuata, margines laterales non attingente; 3. fascia nigra medio angulum faciens basin tangentem, postice vero ita excisa ut triangulus flavus remaneat; huius segmenti margines laterales late nigri; 4. vittis tribus et praeterea lateribus nigris. Venter flavus, macula quadrata nigra; tergum pilis brevissimis albido sericantibus munitum. Alae limpidae vix flavicantes, fasciola et punctis duobus fuscis: punctum primum maius iuxta lineae stigmaticae initium, secundum minus in apice venae secundae; fasciola a fine venae cubitalis usque ad venam connectentem ordinarium. Halteres et pedes dilute flavi, femora postica apice fusca, tibiae posticae totae fuscae.

In Museo Westermanni.

SYSTROPUS.

Haustellum porrectum, longitudine thoracis, absque proboscide et palpis.

Antennae porrectae, triarticulatae: articulo 1. elongato cylindrico; 2. obconico brevissimo; 3. lanceolato depresso.

Caput latitudine thoracis; oculis magnis, ocellis tribus; hypostomate brevissimo, antennis approximatis. Thorax gibbus, humeris paulo prominulis; callo ante alarum insertionem prominente. Scutellum parvum transversum. Alarum insertio angulis posticis thoracis proxima; squamae alarum nullae. Abdomen gracillimum cylindricum, apice

clavatum. Meriaca postica validissima. Pedes postici elongati.

Nomen a συστροφὴ contorsio et πους pes.

Systropus macilentus. *Fig.* VII.

Thorace nigro, lateribus subcoccinelleis; abdomine fusco, basi apiceque nigro; alis infumatis. Longit. lin. 7. ♂.

Habitat in Promontorio bon. spei.

Antennae fuscae, articulis duobus apicalibus nigris. Hypostoma fuscum, oris rima straminea. Frons flavicans; oculi in vertice contigui; orbitae argenteae. Thorax pilis brevissimis albidis; iuxta scutellum utrinque punctum stramineum. Abdominis petiolus ochraceus. Halteres fusci, capitulo subtus albido, supra nigro. Pedes brunnei, apex femorum posticorum niger; tibiae posticae ferrugineae, apice nigrae; tarsorum apex fusco-niger.

In Museo Westermanni.

Chiromyza.

Os parvum haud prominens.

Antennae approximatae, porrectae, pilosae, triarticulatae, capite vix longiores: articulo 1. brevissimo cylindrico, 2. vix longiore cyathiformi, 3. subulato illis paulo longiore.

Ocelli tres. Oculi maribus contigui.

Alae incumbentes. Halteres maximi.

Pedes longiusculi; antici mediis longiores.

Nomen a χεὶρ manus; ob pedum anticorum longitudinem maiorem.

CHIROMYZA VITTATA. Fig. VIII.

Ochraceo-flavicans; thorace quadrivittato, venis alarum fusco-limbatis. Longit. lin. 7. ♀.

Habitat in Brasilia.

Antennarum basis ochrascens, articulus apicalis fuscus; caput flavicans. Thoracis vittae mediae antice latiores, linea flavicante divisae, laterales antice abbreviatae. Scutellum medio fuscum utrinque flavicans; pleurae maculis aliquot fuscis. Abdomen ochraceum, utrinque fusco-limbatum; stylus analis articulatus, longissimus, alarum apicem attingens. Monendum voro, abdomen aperte contrectatione compressum, stylumque solito magis expulsum esse. Alae longitudine abdomen multo superantes, ochraceo-flavicantes, venis, praesertim connectentibus, fusco-limbatis. Halteres capitulo fusco. Pedes ochracei, femoribus apicibusque tibiarum fuscis.

In Museo nostro.

CHIROMYZA OCHRACEA.

Tota ochracea, alis fuscanis. Longit. lin. 4. ♂.

Habitat cum praecedente.

Abdomen et venter imprimis paulo laetius ochracea, in ferrugineum vergentia. Thorax sicut in praecedente, antice gibbus.

In Museo de Winthem Hamburgi, et nostro.

Locum tenet hoc Genus post Thereuam Latr. (Biblio Fabr.)

Idia Meig.

Palpi elongati, antice dilatati, compressi; hypostoma rostriforme.

Antennae incumbentes, hypostomate breviores, triarticulatae; articulo 3. prismatico seta semiplumata.

Oculi maribus contigui; ocelli tres.

Abdomen ovatum, planiusculum, segmentis quatuor pilosis.

Halteres squamula tecti.

Nomen ab ἴδιος proprius.

Unicam speciem Europaeam hactenus notam et nobis communicatam, oculatissimus Meigen ab agmine Muscarum segregavit; plures exoticas hic describere liceat.

Idia xanthogaster.

Obscure aenea, abdomine gambogio *), pleuris flavis, alis flavicantibus apice fuscanis. Longit. lin. 4. ♀.

Habitat in insula Java.

Antennarum basis subbadia, articulus apicalis fuscus. Hypostoma nigrum; genae aeneo-nigrae, capitis superficies inferior laete flava; barba flava; frons medio nigra lateribus aeneo-nigris parum albicantibus. Thorax punctatus, albido-pruinosus, pube nigra. Pleurae laete flavae, subfulvo-villosae. Abdomen gambogium, pube nigra, rara. Alae basi areaque costali saturatius flavae, apice

*) Color superficiei Gummi guttae sicci.

imprimis externe fuscanae; squamae cereae; halteres ferrugineo-flavi. Pedes nigri vix aenescentes.

In Museo Westermanni et nostro.

Idia rostrata.

Thorace subaenescente, albido-quadrivittato; abdomine nigro, utrinque maculis duabus flavis et apicali albida. Longit. lin. 3½.

Habitat in Promontorio bonae spei.

Antennae nigrae, certo situ grisescentes; hypostoma nigrum, palpi nigri; barba grisea, orbitae sub antennis canae, puncto nigro. Thorax viridi-nigricans, pleurae vitta flava. Abdominis primum segmentum a tergo nigrum; 2 et 3 singula utrinque macula magna transversa dilute mellea, certo situ albo-micante, basin tangente, extremitate rotundata; 4. utrinque macula alba micante basin non tangente, medio alterae fere coniuncta, ita ut fasciam vix interruptam diceres. Alae limpidae, basi et costam versus parum flavicantes; halteres ferruginei. Pedes nigri, tibiae fuscae.

In Museo Westermanni.

Idia punctulata.

Obscure aenea, confertim nigro-punctulata, alis apicem versus fuscanis. Longit. lin. 5. ♀.

Habitat in Promontorio bonae spei.

Musca punctulata Wiedem. Zool. Magaz. III. p. 21. No. 30.

Antennae fusco-nigrae; hypostoma atrum, nitens, maculis albo micantibus; frons vitta nigricante, lateribus canescens, punctis

nigris. Thorax nigricans, cupreo-nitens, seriebus densis punctulorum nigrorum, antice certo situ albicans, lineis 4 nigris, quarum mediae latius distant; pleurae absque punctis. Abdominis segmenta tria anteriora paulo aeneo-viridia, alio situ attamen cuprascentia, certo situ albido-micantia; segmentum quartum magis cuprascens. Alae cinerascentes ad costam fuscanae, versus apicem omnino dilute fuscanae, vena connectens apicalis et ordinaria flavicante-limbatae; squamae et halteres fusca. Pedes sicut abdomen; tarsi ochracei.

In Museo Westermanni et nostro.

Muscae lunata et discolor Fabr. huic generi adnumerandae sunt.